Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1073
Quelle:
Copyright:

(aeternitatis?) *ſpecioſa conditio, cum Dilectione veſtra fuiſſe felicem* (per Chr. D. N.) *qui uiuit et regnat una cum* (Patre et) *Spiritu ſancto Deus per omnia ſecula ſeculorum amen.* Si plures *Petronii* Sermones in Codice reperiſſem, eandem illis navaſſem operam, quam repertis aliquot abhinc annis *Auguſtini* Sermonibus.

Inter ceteros porro Codicis Sermones plures perperam Autoribus, quos praeferunt, inſcripti ſunt. Sermo *Dom. in Palmas* plane duos praefert, *Maximum* et *Auguſtinum;* eſt vero *Maximi*, ut Edit. *Rom.* 1784. *col.* 137. f. Fer. V. *in Coena Dom.* et *Paraſceve* Homiliis praemiſſae ſunt *Lamentationes Jeremiae* ſuperpoſitis accentibus muſicis. Homilia *Sabbato Sancto* Autore caret, et incipit: *Uideamus fratres kariſſimi de dominico corpore* &c. Eſt igitur ejusdem *Maximi*, ſed omiſſo toto principio, ut conferenti Edit. *cit. col.* 280. patebit. Non idem adfirmare poſſum de Homilia ſequente, cujus titulus nullus, initium vero: *Domini Noſtri Ihesu Chriſti Salvatoris honorabilem ſollemnitatem diuina fauente clementia fratres kariſſimi fideliter ueneremur* &c. quando tamen habita fuerit, liquet e ſequentibus: *Expergefacti itaque libenter de ſomno inertię ſurgamus, & noctem hanc ſanctam paſchę lętanter ducamus* &c. poſt quae Autor de *Fermento malitiae* et *Azymis ſinceritatis* commentatur. Terminat hunc Codicem peculiari diſcuſſione dignum Epiſtola *Hieronymi* ad *Paulinum* de omnibus ſ. Scripturae Libris, quae Bibliis paſſim praefigi ſolet: *Frater Ambroſius tua munuſcula* &c. Poſteriora haec manu Sec. XII. uti et *pag. ult.* Fragmentum Literae Apoſtolicae, quod incipit: *Salzburgen. Audito et intellecto illo enormi facto, quod eſt adverſum te — attemptatum* &c. Factum non exprimitur, ſed apoſtolica auctoritate caſſatur, directis etiam ad C. *Maguntinum Archiepiſcopum* literis. Quo iſta pertineant, inter plura ejus aevi Praeſulum *Salisburg.* cum Imperatoribus diſſidia non facile dictu ſit.

CCCCXLVIII.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 153. f. min. luculente, non tamen una manu ſcriptus et rubricis diſtinctus eſt *Homiliarium* pro Jejunii verni tempore a Dominica in Septuageſima perductum ad diem Paraſceves. R. 3327 Patres, quorum Sermones hic habentur, ſequentes ſunt: *Gregorius M. Auguſtinus, Ambroſius, Petronius Veron. Leo, Maximus, Johannes Chryſoſt. Hieronymus, Beda*, totaque Collectio Ἀπογραφον eſt Codicis Sec. XI. ſupra recenſiti, ſed, ut fieri amat, erroribus calami auctis potius, quam imminutis. Praemiſſae ſunt *foliis 3.* aliquae Lectiones e *Beda, Auguſtino, Origene, Ambroſio, Leone*, ut praeferunt, manu Sec. XV. depromtae, ſed, ut in his, ita et in toto corpore non paucae a ſaniore Criſi deinceps rejectae. Ad calcem Librarius: